



HISTORIAE
ADMIRANDÆ
RARAE AB EODEM
AVTORE
DIOMEDE CORNARIO
collectæ.

AD LECTOREM.

HISTORIAS in lucem editurus raras, & quasdam forsan incredibiles, candidum Lectorem admonendum duxi, ut me certa, minimeq; dubia, nec à proposito nostro aliena, adhibitis fide dignorum Autorum testimonijs, qui rei gestæ interfuerunt, scribere, meq; nihil antiquius huius opusculi calci ipsa veritate subiunxisse, planè confidat.

FF

HISTO-



HISTORIAE

AD MIRANDAM

ARABAE AB EODEM

AVTORE

DIONISII CORNARI

COLLECTA

HISTORIAE AD MIRANDAM
ARABAE AB EODEM
AVTORE
DIONISII CORNARI
COLLECTA
PLANCONDAR

HISTO



HISTORIAE ADMIRANDÆ RARAE.

De strangulato, qui iterum re-
uixit.

HISTORIA I.

A Nno 1440. 16. Martij die
Decano Facultatis Medicae
existente Magistro JOAN-
NE de PAVMGARTEN,
octo fures suspensi fuerunt, ex
quibus unus ad Spiritum sanctum introductus
est, ac corpus eius destinatum anatomia, sed
quia iterum ope & industria Medicorum Vi-
ennensium reuixit, liber dimissus est. Hac ita de-
scripta reperiuntur in antiquo Collegij Medici
Actorum libro, anni sup. allegati.

Ff 2

De

De fure suspenso, qui denuò
reuixit.

HISTORIA II.

Nno 1492. Conradi Praitenauers de
 A Puechperg ob furta suspensi ac strangulati corpus Facultati Medica secundum tradebatur. Animaduenterunt Medici aliquem spiritum vitalem in hoc corpore superesse, quamuis morti valdè propinquum esset, proindè ex utraq; cephalica sanguinem largum detraxerunt, aliq; necessaria administrarunt. Apparuerunt in illo symptomata horribilia suffocationem minantia, aderat spuma circa os notabilis & perseverans, propterea Medici Hippocratis aph^m 43. sect. 2. aph^{rum}, allegabant, ubi ait Hippocrates: Strangulati & dissoluti, nondum mortui, non reconualescunt, quibus spuma circa os fuerit. Hunc trium literarum hominem fortissimè constrictum, ob vehementes capitis, pedum, imò totius corporis commotiones (nulla enim in homine erat quies) quatuor

tuor persone fortes athletica tenuerunt, aliàs,
 ne seipsum denuò interfecisset, periculum fuisset,
 mente nimirum laborantem. Retulit postea,
 se non posse in memoriam reuocare ea, quæ
 secum acta fuerant: se tantum meminisse, quòd
 in pratorio fuerit, sed quid postea factum sit, se
 ignorare. Hic tandem comite pedello ad B.
 virginem in Ettingen patriam suam iuit, quo
 in loco hac historia pro miraculo depicta est.
 Dicitur etiam post multa noua furti denuò
 rectè suspensus esse, siquidem quod cornu debetur,
 iuxta vulgare adagium, vix submergitur.
 Hanc historiã similiter ex antiquo libro Actorum
 Facultatis Medicæ descripsi, cuius libri
 principium est folio nono, p. 2. anni 1490.

De peruerso vrinarum iudicio
 historiae tres.

HISTORIA III.

Nno 1535. apud nos Viennæ (scribit ^{Historia} prima,

A. FRANCISCVS EMERICVS
 Medicina Doctor, ordinarij studij
 Ff 3 Vien-

Viennensis practica Professor, in enarratione sua, an urinarum, vel pulsum observatio certiores notas salutis, vel mortis Medico præbeat? edita anno Christi 1552.) amicus quidam noster GEORGIVS RITHAMERVS, magnæ eruditionis vir, & quidem proliis acquirendæ cupidissimus, accessit Medicum ex Medicorum collegio Primatem cum urina, ut de sua uxore, quam gravidam suspicabatur, certior fieret: Medicus visa solum urina non modo gravidam ipsam, sed & masculum gestare certissimum affirmabat. Ibi RITHAMERVS me statim odisse cæpit, qui prior eam, inspecta non solum urina, verum artificiosa signorum præcurrentium inquisitione, ex intellecta tota gerentis in utero historia, habita, minimè gravidam protulissim, ac statim obstetrices, nutrices, aliâq; ad partum, & curam puerperæ pertinentia, anxie & sedulo adornat. Paucis autem post diebus undiq; gravis, ac motum fœtus subinde sentiens proclamatur, & propterea ob cre-

crebros affectus, quos sentiebat, ipsi à constitutis mulierculis sunt balnea, à quibus facta comitalis subito interijt. De cuius obitu quum ego per apprimè honestam matronam, & RITHAMERO vicinam, certior factus essem, à Georgio statim petij pro veteri suo amore in me, ut ad inquirendam veritatem incidi corpus mortuum pateretur, quod ipse, & victus precibus, & certitudinis cognitione motus, libenter fecit. Incidimus itaque corpus, primumq; inferioris ventris musculos detegendo resecta, peritoneo aperto, ad matricis situm properamus, & licet eam admodum exiguum vidimus, inq; ea nihil contineri animaduertimus: tamen ut veritas in oculos incurreret, eam incidentes, prorsus mundam & vacuam inuenimus. Erat autem quum viueret colore subalbido, malig; habitus, neque unquam pepererat, unde eam aliare laborare ex coniectura assequebar: quare progredimur secando versus ventriculum, ubi intra peritoneum & intestina
aquam

aquam deprehendimus, quæ nunc in hoc, nunc in aliud latus pro corporis motu procumbebat, hinc suspicio foetum moueri suborta fuit. Ibi ego dicere cæpi: *Mi Georgi en vide imprægnationem mortuæ tuæ coniugis. Erant autem huius incisionis spectatores, Doctor JACOBVS VVALCH studiorum meorum in Italia Collega, ANDREAS PERLACHIVS Mathematicus, & in Medica arte unicus eius Medici, qui ex vrina mulierculam grauidam pronunciaffet, obseruator. RITHAMER* viso hoc, se iniquo indignationis affectu erga me fuisse, statim fatebatur, quod grauidam eam pronunciare nolueram, seqq. peccasse asseribat. Sed nihilominus optimus vir paulò post à longè inferiori, & quidem Circumforaneo Medicaastro deceptus fuit, ut ex sequenti historia patebit.

De peruerso ex vrinìs iudicio.

HISTORIA IIII.

Motus

Otus idem *RITHAMER* vulgi
 M frequentia, quæ Circumforaneū istum
 impostorem urinarum iudicandarum
 gratia adibat, eum quoq; in alio quodam casu
 consuluisse voluit. Accessit itaq; de affectu cum
 eo tractaturus, fortè in mensa librum Gracum
 apertum reperit, unde statim imposturam
 agnouit. Erat enim nebulo ille, impostorq; om-
 nium literarum planè rudis, ita ut vix voca-
 bulum unum atq; alterum latinè intelligeret,
 taceo quòd Græca legere, multò minus intelli-
 gere potuisset, quippe apud impostoria hæresis
 hominem educatus. Dicebat autem nobis po-
 stea hypocaustum, in quo fuerat, duas habuisse
 ianuas, quarum una vulgo ingredienti: altera
 culina adiuncta cæca muliercula patebat, quæ
 ante ingressum ex singulis percunctabatur, quid
 vellent? quæ urgeret necessitas? ac postea ex
 culina in hypocaustum tendens, huic nebuloni
 audita deferebat, qua re egregiè imperita mul-
 titudini illusit. Accidit aliquando, ut quadam
 matrona anxie rogaret se intromitti (nolebat

Gg

enim,

enim, ut maiorem retineret auctoritatem, facile quemvis admittere) dicens maritum suum ex sanguinis narium fluxu moriturum, nisi quam citissime succurreretur: Huius quum à coqua impostor admonitus esset, ipsa intromissa fuit, quam cum urina videns nebulo, statim sonoroſa voce exclamat, ut suam certitudinem omnibus probaret: Jube maritum tuum ex nari- bus sanguinem fundere, & scripta quadam recepta ipsam dimisit, quæ deinceps propter simplicitatem de diuina nebulonis tanti doctrina omnibus prædicabat hominibus. O impostura execrabilis. Sed ita plures hoc tempore non sine magno egrotantium incommodo crescunt, similiq; impostura lucrum faciunt, quemadmodum talis impostor Hebraeus, nunc per plurimos annos, & adhuc in hodiernum diem Vienna quotidie præxim Medicam, contra Facultatis Medicæ privilegia Cæsarea, contraq; bonos mores, ut dici solet, impune exercet, utens hac turpissima fallacia, notus omni populo, propterea nomen eius subiungere indignum arbitror.

De

R M A R E. 11
De falso vrinarum iudicio.

HISTORIA V.

Notum est etiam multis hominibus, Historia
tertia.
N ante aliquot annos quendam fuisse,
qui ex urina inspectione vel omnes sy-
nocho laborare pronunciauit, vel alia monstro-
sa recitauit, scilicet sanguinis guttam à corde in
inferiora dilapsam excitasse morbum, vel cor
adstringi certis anxijs compagibus, & similia:
vnde statim omnibus ferè citissimam vena se-
ctionem imperabat, prius offerens idem vniuer-
sis pharmacum quasi nostris Seplasiarijs notis-
simum, scilicet theriacam cum sulphure & cam-
phora mixtam, ut inde prius exactè sudarent,
à sudore autem euestigio sanguinem mitterent.
Tanta horum impostorum hac nostra memo-
ria, & in his nostris regionib. ubiq. est frequen-
tia & copia, ut etiam in clarissimis ciuitatibus
impunè grassentur Iudei, meretricule, & quiq.
sceleratissimi nebulones, qui omnes ex hoc adeo
necessario signo urina meram imposturam

Gg 2 faci-

faciunt. Debebant equidem huiusmodi nebulones publicè, & quidem grauissimè puniri, ac non aliter ex urbibus bene institutis exterminari, quàm ex densissimis latebris & syluis latrones abiguntur. Sed id non solum non fit, verùm inde etiam magni nominis quidam à nobis exigunt, id quod non mihi duntaxat, sed etiam alijs probatis Medicis sæpius factitatum est, ut ex sola urina, nulla alia coniectura, artificiosaq; inquisitione præmissa pronunciemus, an sit viri? vel fœmina? & cuius sit ætatis persona? quis sit morbus? qua causa cùm primitiua, tum præcedens morbi? item nùm ex pendulo vino epoto? vel comestis farciminibus? alijsq; morbum conciliarint? Et nisi dicas responsum ipsis acceptum, aiunt: te nihil scire, sese fuisse apud eos, qui ex urina consideratione ea omnia diuinassent. Vides quàm absurda opinio inde non solum in vulgus, sed etiam in alios quàm plures manarit, & quanta pericula illis inde eueniant. Hos itaq; non tam defendimus, dùm urinis certiore indicationem de salute & morte tri-

tribuimus, quàm maximè Reip. causa urbi-
bus, agrisq; exterminatos cupimus. Sed de his
pro tempore nunc satis dictum.

De gestatione in vtero foetus mor-
tui, vltra annos quatuor.

HISTORIA VI.

Nno Christi 1545. quædam conciuis Matthias
Cornax

A Viennensis, nomine MARGARE- fol. 188. in
Medicæ
consult.
enchiri-
dio.

THA, filia VVOLFGANGI

KARLINGER ciuis Viennensis, vxor ve-
rò GEORGII VVOLCZER, hospitis eo
tempore ad ades rubri cancri appellatas Vien-
næ, postquam antea etiam enixa esset aliquot li-
beros, concepit anno ætatis suæ 25. omnia deniq;
habuit signa felicis imprægnationis, fœtum insu-
per temporis progressu sensit, ante festum D.
BARTHOLOMÆI eodem anno valentē,
Et strenuè sese mouentem, vsq; ad festum D. Lu-
ciæ sacrum. Quo sanè illi tempore superuene-
runt partus dolores, adeò vehementes, vt an-
teà experta iam sæpius ipsa, iam iam se crederet

Gg 3

enixu-

anixuram. Statim igitur aduocari iussit matrem, & unam ex suis sororibus, acciri etiam obstetricem confestim praecepit. Quæ cum aduenisset, statim re animaduersa, iussit omnia ad manus esse parturienti necessaria, hæc verba adiiciens: Statim Deo volente, puellum natum habebimus, & quemadmodum postea euentus comprobauit, vera vates extitit. Interea pragnans in sedem parturientium consedit, & quum instanter admodum à circumstantibus mulieribus admoneretur, urgcretur etiam, ab obstetrice, omnibus nisibus elaborauit ad pariendum, in quibus heu nimium vehementibus conatibus fragor quidam increpuit satis sonorus: quiq; non temerè argueret magnam vim vel foetui, vel matri illatam fuisse, vel certè conquassatum infantis caput in partes discessisse. Ab eo fragore vinacitas foetus deprehendi amplius nullis argumentis potuit.

Grauida inde maiorem in modum cœpit agrotare, ac propterea in lectulum suum reducta

ducta & reposita est. Interim lac accurrens, quod parturientibus usu venit, ubertim uberare repleuit, adeo ut stillatim etiam à papillis gliscentibus colostræ deflueret, spectantibus multis, & ijs honestis ac prudentibus mulieribus, quæ dies, noctesq; assistentes, præstolabantur felicem partum.

Dum verò res ita protraheretur, semperq; maior difficultas, minor verò spes elucesceret, deliberatum est ab omnibus, quæ tùm præstò erant, & itum in eam sententiam, ut plures obstetrices accerferentur in rem præsentem, aliquod fortè salubrius allatura consilium. Sed ex harum etiam aduentu nil misera adminiculi accessit, neq; quicquàm ab his in medium dici potuit, vel consuli salutare, præterquàm quòd una ex ijs iudicatum habebat (& fortasse non malè) rem nimis festinatam fuisse, os sacrum nondum satis hiasse. Nihil itaq; etiam tùm effectum datum est, gestansq; uterum, mulier tandem per multas septimanas gravissimè decubuit, ventris tumore, duricie, fluxu,
qui

qui supervenerat, doloribus nihil remittentibus. Quæ omnia, continuæ deniq; corporis graves afflictiones, animi percussiones, ad summam desperationem miseram videbantur compellere, effeceruntq; ut ad tentanda omnia omnium consilia animum aduerteret, ad usurpandas omnium medelas, doctorum & indoctorum, Christianorum & Judeorum, quæ tamen nequicquam adhibita, auxilij nihil, plurimum, mœroris & desperationis (cùm res difficilis ad impossibilitatem videretur vergere) attulere. Hisce periculorum & ærumnarum acervis circumventa, atroci insuper ventris ac ineuitabili onere summè implicita mulier, per quadriennium, usq; ad annum Domini 1549. semiuiua perduravit. Sed quod prætereundum hoc loco nō est, propter has enumeratas à nobis difficiles calamitates, misella insuper adstricta est defluxu continuè putrilaginoso, qui per locum muliebrem perrumpens, totum hoc quadrienne tempus duravit, ita tamen ut aliquandò parcius, aliquandò copiosius profluens, dispari ratione mulierem affli-

affligeret, cessaret tamen nunquam. Cruciati-
bus igitur hisce ac grauedinib. diu perstantibus,
tandem natura (qua semper individuum con-
seruare contendit) acore & copia putridi hu-
moris non euicta, sed compulsa (ut pote cui in-
ferna humoris subductio non sufficeret) ad um-
bilicum, matricem ipsam, totum deniq. abdo-
men, multis alioquin partibus munitum, per-
fodit. Foramen igitur factum est primo anno
Domini 1548. in loco predicto, ex quo multū
saniosi, fetidūq. mucoris profluxit. Successu de-
indē temporis, post aliquot menses, adhibitis ex-
ternis emplastrorum adminiculis, apertio coa-
luit, posteaquam (ut videtur) colluues humo-
rum noctiuorum abunde excreta esset, vel ali-
quantisper pro necessitate euacuationis diminu-
ta. Sed quod efflictim obseruandum est, paulo
post anno Domini 1549. mense Junio, quum
scilicet multa putrida superfluitas omni conatu
mox per naturam expellenda, iterum collecta
esset, natura denuo eodem consilio & via, pro-
ximo in loco, non ita procul a priore apertione
distante,

Hh

distante,

271

distante, per ventrem iterum perrupit, & affa-
tim eduxit necessario euacuandam purulentiam.

In hoc foraminulo exhibebatur omnium
conspicui & tactui, os quoddam, quod euentus
postea (resecta aluo & matrice) comprobavit
infantis fibulam sinistri brachij fuisse. Duravit
iterum hac apertio, eodem statu & effluxu, cum
magna scæmina in utero habentis virium pro-
stratione, ad menses aliquot.

Cum autem periculi magnitudo, dolorum,
fœtorisq; intolerantia indies magis ac magis
ingrauescerent, viderenturq; omnia ad interi-
tum spectare, ipsaq; miserima præ cruciatibus
immensis, animi crebris deliquijs iamiam cre-
deret sibi exitum imminere, denuo inijt consiliū,
asciscendi Medicos, si fortasse ex singulari Dei
misericordia, felix horula salubris consilij elu-
cesceret, si deniq; forte fortuna, Deo ita dispo-
nente, in hora contingeret, quod non contigisset
in annis.

Vocati igitur sunt Chirurgi tres: aula Re-
gia Chirurgus SIXTVS VVIRT: PAV-

LVS

LYS DIRLEKX ANG vrbis Viennensis
ordinarius Chirurgus: & P E T R U S
VUNCKLER, qui cum aduenissent, rem
omnem intuiti, atrox periculum præ oculis esse
animaduertunt, simulq; moderatè omnes
vnanimes responderunt, maius esse negotium
hoc, quàm ut ipsi quippiam certi in hoc casu sta-
tuere vel debeant, vel possint, accersendos esse
Medicina aliquot Doctores, quorum consilia
meritò abcedere debeant, & si quid in retam
ardua faciendum superesset, sibi consultum vi-
deri, ut id ex eorum matura deliberatione pro-
ficiscatur.

Acciti igitur sunt Doctores duo, IO AN-
NES ENZIANER, & M ATTHIAS
CORNAX, alter vir senex & reuerà miles
(quod dicitur) emeritus, hic publicus medicina
in Viennensi Gymnasio ordinarius professor.
Qui cum venissent, aliquoties post crebram in-
spectionem agra, virium explorationem, cir-
cumstantiarum diligentem inquisitionem, nihil
aliud videbant superesse consilij, quàm ut ad
Hb 2 sen-

2. aph. 6., sentiant Hippocratis, extremis morbis extrema
adhiberentur remedia, quantumvis periculosa.

Decretum itaq; ab ijs est, de aluo aperienda. A Chirurgis etiam in eandem rem sententiam. Quod cum certò constitutum esset, etiam fœmine, eiusq; marito, & propinquis, Medicorum consultum indicatum est, a quibus omnibus assensum. Statuta tandem dies est, decima mensis Nouembris, anni 1549. hora duodecima pomeridiana. Christi igitur Domini auspicijs, cum tempus statutum aduenisset, rebus ritè auxiliaribus demiq; paratis, & dispositis praesidijs, si quid fortè grauius contingeret, praesentibus Doctores nominatis, & Chirurgis, sectio cum summa diligentia peracta est.

Linea autem sectionis ex mea designatione ducta est, ab apertione ea inchoata (quæ paulò supra umbilicum à natura, ut diximus, facta erat in latere dextro) recta deorsum per tractum musculi recti, abdomini incumbens, longitudine plus minus octo unciarum, hoc est, semipedis antiqui, & duorum pollicum, quæ facta
inci-

incisione, propter necessitatem, & intolerabilem foetorem, subito contentum in utero, à Chirurgis undiq; liberatum est, & exemptus frustulatus foetus masculus, iam dudum emortuus, & semiputridus. Secutus est hanc extractionem foetor incredibilis, adeo enim putredo inualluerat, ut bona pars membrorum pueri consumpta appareret: caput verò totum confractum, & ossa cranei dispersa extraherentur, cerebri vero videretur nihil, nimirum quod totum putredine diuturna consumptum esset.

Absoluta hac sectione, ex summa Dei opt. max. misericordia feliciter mulier debita ratione, infarctis laceris & rugosis uteri cavitatibus ligata & curata est: illiq; de rebus necessarijs quam optime prospectum à Medicis & Chirurgis. In omni autem ista administratione, misella quae resecabatur, nullum est passa animi deliquium, sed forti & sedato animo omnia pertulit, adeo ut Deus, & natura ipsa, in conservanda hac inopi & ignobili femina, contendisse videantur.

Hb 3

Suc-

Successu deinde temporis, cum omnia ex singulari nutu Dei feliciter procederent, sine ulla futura, rugis (detumescente ventre ob exinanitum uterum) coeuntibus, postliminio venter ab onere putrido liberatus peroptime coaluit, & femina prater omnem expectationem curata est, & uterus ipse una cum abdomine, & eius partibus plane consolidatus, quin etiam ita matrice probe restituta, menses bono ordine & modo rediere, ut spem aliquam conceperimus, membro quantumvis sensibili & spermatico ita persanato, mulierem denique concepturam, & fortasse foetus edituram.

Quod tamen postremum, ut valde ex multis rationibus est ambiguum, ita incertum Divinae omnipotentiae relinquimus determinandis.

In hunc modum se habet haec rara quidem & admiratu digna, sed vera historia, quam ideo in literas referendam non dubitavi, ut omnes homines animadverterent, summam Dei erga gravidas feminas benignitatem, utq; haec historia esset consolationi omnibus prae-
bus

bus foeminis, quum videant Deo se adeo cura esse, suamq; imbecillitatem tanta perferre posse. Postremo ut hac nostra scriptione admoneremus Chirurgos, ne ab eiusmodi gravissimis aggreddendis potius impigre & alacriter, quam expauescendis casibus manus suas abstraherent. Longè enim prestantius, ac laudabilius est, aliquid cum periculo aggredi, quàm cum certa pernicië cessare: & decentius est, aliquid letale etiam committere, modò spes aliqua salutis proroganda supersit, quàm omninò certa & presenti se committere morti, quæ procul dubio huic gravida mulieri iamiam imminebat, nisi relatis à nobis præsidijs ex Dei singulari voluntate evasisset.

Quare laus sit Deo summo, qui fecit, facitq; mirabilia, qui sit benedictus & superexaltatus in secula seculorum. Amen.

Quod eadem foemina denuò conceperit, & gestauerit foetum vivum, perfectum, masculum, ad legitimum pariendi tempus: quodq; ex posthabita sectione, mater vnà cum puello interierit.

HISTO-

Cornax
208.

Osteaquàm supernè à nobis descripta
P MARGARETHA, ex sanctissimi
opificis DEI voluntate conualuisset,
conuixisset deniq, sano marito annum plus mi-
nus integrum, satis frugaliter denuò concepit,
& gestauit puerum bene valentem, & rite suc-
crescentem vsq, ad secundum diem mensis Ju-
nij, anno Domini 1551. quod erat legitimum
tempus pariendi. Ea dies cum manè illuxisset,
& bellè se haberent omnia, infans robustus stre-
nuè palpitauit, & elaborauit ad egressum ute-
ri, mater mœsta omnibus nervis ad expellendū
fœtum incubuit, presentibus multis mulieribus,
sed incassum omnes conatus cessere. Quapropter
vocatus est PAVLVS DIRLEVV, ANG
Chirurgus Viennensis, qui antea illam secane-
nat, ut in medium consuleret. Ille verò pra-
oculis cernens graue discrimen, consuluit, me
etiam esse vocandum.
Adueniens itaq, & ego, cum perlustrassem
ventrem emittentis, vidiſsemq, fœtum validum,
matrem

matrem autem omnibus viribus, quæ ad certamen enitendi requirebantur, destitutam: cicatricem præterea veterem, quasi per rimam longam hiscere, omninoq; impossibile esse, ut conatus fœmina, tam lacero utero, incisis per longum musculus & abdomine, tanti esse possent, qui in utero contentum quantumvis viribus præstans, & sese adiutans, per os sacrum possent expellere, suasi euestigiò, ventrè ferro, ut prius, ressecandum esse. Firmavit meam opinionem & hoc, quòd rimula sectionis pristina laxata, pellucens madebat, & per se discessionem parietum cicatricis minitabatur.

Hiscè perurgentibus rationibus, nos compulsi, & commemoratione prioris felicitis euentus animati, sectionem iterum instituendâ censuimus, acquiescebat consilijs nostris, alioquin moritur, puerpera.

Verum enimverò mater eius, & reliquæ aliquot præsentēs fœmina, assentiri nullo pacto voluerunt. Interim ego ordinatis quibusdam præsidijs confortantibus, consolatus afflictam

Ii discepsi,

disceſſi, & paulò poſt reuerſus, acriter inſtituti iterum peragenda caſura. Sed perperam tum obtinuit matris affectus, quæ cum cæteris fœminis in ea perſeuerauerat ſententia, ut Deo omnia committerentur, reiecta periculosa ſectione, quæ tum etiam ſatis tempeſtiuè adhiberi poſſet, cum extremum anhelitum mater ſpiraret.

Expectatum igitur uſq; ad horam decimam noctis, quo tempore infelix, cum fructu diu & ſtrenuè luctata eſſet, viribus omnibus exhaustis, cruciatibus oppreſſa animam exhalauit. Quòd cum factum eſſet, ſubitò Chirurgus prædictus vocatus eſt, & citiſſimè ventrem aperuit, ſtatimq; infantem perfectum, maſculum, omnibus numeris abſolutum, exemit.

Ibi videre erat (ſuperueneram enim & ego) certamen adnitentium puello vitam, quæ paulò antè abierat, reuocare, & ſuſſlando omnia tentare ſpiracula, ſed perperam & fructu omnia fiebant. In promptu cauſa eſt eruditis & anatomie peritis, ſiquidem in conſeſſo eſt,

est, vitam & motum cordis in infante à duabus arterijs vitalibus matris per umbilicum, fœtui ceu per insitionem insertis dependere, quæ vasa natura pro cordis refrigeratione fabricavit. Quare cum arteriarum motus in matre cesset, earundem etiam motum euestigiò in infante cessare necessum est, siquidem fieri minime potest, ut puer ante præcisionem umbilici, in ipso deniq; utero inuolutus tunicis, spiritum per os attrahat.

Præterea esto: quòd continuatio umbilici fœtus à matrice sit libera, ruptis cotyledonibus partus tempore, tamen nihilominus umbilicus secundina adheret, necessario ab obstetrice præcidendus: vel etiamsi à secundina, in utero existente puello, umbilicus solutus esset, tamen respirare per os non posset infans, panniculis inuolutus: uteri præterea parietibus inclusus, mucoribus deniq; & aquositatibus circumfusus, quæ certè res sæpè solutos infantes, herentes tamen diutius in angustis faucibus ossis sacri, enecat suffocando.

Fi 2

Cum

Cum ex prædictis itaq; necessarium sit, vita & motu puerperarum cessante, cessare etiam infantis in utero contenti vitam & motum: impossibile est, tam immediatè excindi infantem, posse, in eo ictu temporis, quo anima ex matre migrat, quæ si semel euolauerit, certè reuocari humanis præsijs nullo modo potest. Si autem fortè fortunà exemptio infantis contigerit in agone puerperæ, aut in animi deliquijs, præsentibus adhuc spiritibus vitalibus, tum censemus omninò superuiuere infantem posse, quemadmodum sine dubio de *IULIO CÆSARE* contigit.

Ex his ergo omnibus à nobis enumeratis, luce meridiana clarius liquet: Primò, ut supra descripsimus, hanc *MARGARETHAM* per quadriennium foetum mortuum in utero gestasse, eundem exectum esse membratim per abdomen: & quod ipse prognosticatus sum dubitatiuè, hoc Deum præstitisse re ipsà, ut quod fœmina ità lacerò, sed restituto utcunq; utero, progressu temporis tandem concipere posset, & nostram

nostram hanc denuò concepisse, & gestasse usq;
ad legitimum tempus partus, benè formatum
& perfectum infantem, qui si etiam exectus
fuisset tempestive, sine dubio supervixisset: cum
tàm robustus, tàm benè habitus, tàm absolu-
tus (ut ipse diligenter coràm intuitus sum) fue-
rit, ità ut plane nihil in eo desideraretur, præ-
ter vitam. Cuius rei testes multa persona utri-
usq; sexus esse possunt, quæ frequentes eò conflue-
bant, hoc miraculum conspecturi.

Quare nemo deinceps dubitare debet, hanc
historiam verissimam esse, siquidem apud Deū
non est impossibile omne verbum, cui sit laus,
& gloria, & benedictio in secula. Amen.

De muliere, quæ annis tredecim in
vtero gestavit sceletum fœtus mortui, quod tactu
cùm ab ipsa matre, tùm ab omnibus illi præsen-
tibus percipitur, huius rei historia scripta est ad
Matthiam Cornacem ab ÆGIDIO HERTOGIO
Medico, in Enchiridio Medicæ consulta-
tionis Matthiæ Cornacis, folio

214.

Ii 3

HISTO-

HISTORIÆ ADMIRANDÆ
HISTORIA VIII.

*Atharina quadam, uxor MICHA-
C ELIS de MENNE, viri ruralis &
pauperis, annis duodecim utero gerit
foetum mortuum, vel potius sceletum foetus
emortui. Res penitus monstrosa, ac miraculo
digna dici potest: Ità tamen se res habet, sic ut
ipso tactu unicuique fuerit manifestissima.*

*Mulieris enim ventrē inferiorem proprijs
manibus attrectavi, non bis, terue, sed pluries.
Idem quoque mecum egere cum viri, tum mulie-
res illustrissima, non sine omnium admiratione
maxima, quos omnes honoris gratia prateri-
mus. At vel unius viri hac in re testimonium
oculare sufficere poterit, puta excellentissimi
D. HENRICI CORNELII MATHI-
SII, qui quondam CAROLO eius nominis
Quinto Augusto Medicus fuit domesticus. Hic
inquam cum stantem, & supinè decumbentem,
dictam mulierem crebrius attrectasset, omniaque
ossa foetus mortui ipso tactu optime deprehendisset,
præ stupore nimio, tum admiratione sum-
ma di-*

ma dicebat: Deo, & natura nihil impossibile.

Anno igitur Domini 1549. eadem Catharina, posteaquam antea enixa esset duos liberos, concepit mense Martio, omnia signa habens felicitis imprægnationis, fœtum in super temporis progressu à quarto mense conceptus sensit valentem, & strenuè se mouentem, usq; ad festum diuo Andrea sacrum, eodem anno, quo sane illi superuenere dolores partus adeo vehementes, ut iamiam crederet se enixuram. Uterus quoq; mirum in modum prominebat, uberaq; lacte copiosissimo turgebant, idq; magis instante iam partu, quam multis diebus antea. At cum ad parturiendum nulla amplius mora expectaretur, accidit, ut vetula quædam malefica & prestigiatrix ventrem huic utero gerenti attigerit, in aures susurrarit, & in faciem sufflarit, aliq; peregerit: quæ quoniam parum ad rem nostram facere existimo, pluribus non persequor: illius tamen meminisse placuit. Nam in vetulam mulier culpam omnem reijcere videtur, quod illi res tam infelicitè successerit.

Ut

Ut autem parturientium dolores, cum in ventre inferiore, tum in lumbis sensit, statim acciri obstetricem & mulieres vicinas iubet, quæ dies, noctesq; aliquot partum præstolabantur: nullum tamen partus breui futuri signum observat obstetrix, præter illos dolores, qui toto biduo increbescabant. Quare discedit, reuersura, si ita res postulauerit. Quid multis? dolores nihil interim remittuntur, sed diebus totis quadraginta, & die, & nocte, illam seuiſsimè affligere non desinunt, ut totum id temporis misella ista insomnis egerit. Ab utero quippiam interea fluxisse, nunquam animaduersum fuit.

Fœtus vehementissimè semper mouebatur ac calcitrabat, ita ut manifestè illius motus ab adstantibus observari posset, toto isto dolorum tempore sudoribus quoq; copiosissimis madebat. Lac præterea è mamillis uberius fluebat, quod quia acrius, tum plus iusto biliosum erat, omnes ferè partes vicinæ, quas defluens attigit, exulcerabantur.

Quadragesimo demum secundo & quarto
dolorum

dolorum die, foetus tam validè amplius moueri destitit. Dictu profectò mirum, quòd tanto tempore subsistere potuerit incolumis, tandem conatu vehementissimo ita foetus movebatur, ut inde transuersim in utero reuolutum mater narraret. Dolores ab illo impetu foetus multò mitiores euasere, & paulò post planè recesserunt. Post verò dies quatuor, vel sex, cruenta quaedam ac nigra per aluum deijcere cœpit, illis similia (ut illa inquit) excrementis, quæ pueruli iam in lucem editi primum excernere solent, cuiusmodi excrementa egerebat diebus singulis ad sex libras. Cumq; antea nullus in utero collisionis ossium sensus voluntarius perciperetur, hîc tandem putans misella se ab omnibus arumnis liberam, unicuiq; tangenti uterum, sese prode- re cœpit, ut etiam illam non lateat ossium fœtus mortui situs, quippe cum digito monstret: hîc caput, illic costas, hîc humeros, illic femora contineri. Quod ego, & alij complures, me monitore, deprehenderunt.

Cadaver istud seu sceletum in utero matris

Kk

iacet

iacet transversim, capite & cruribus introrsum, dorso verò extrorsum prominente. Sub illo dextro caput reconditur, quod cum profundius, quàm matris spinam dorsi respiciat, non sine ratione tactus nostri iudicium refugit, ibi tamen ossis humeri caput superius contineri, manifestò constat. Sub illo sinistro sunt crura & pedes, sed introrsum reflexi, ut attingi minimè possint: coniectura tamen artificiali & anatomica ità esse, iudicare non est difficile, tum ex situ reliquo corporis, tum quia ibi os fæmoris apertissimè deprehendatur. In medio ventre dorsum evidentissimè cognoscitur, vertebraq; omnes facilimè distinguuntur, costæ quoq; maiori ex parte, tam superiores, quàm inferiores, dinumerantur, turget venter maternus tumore oblongo, qui in pudendum desinit, eleuat totam istam molem sursum, eandemq; pro animi arbitrio deprimat, non sine assistentium summa admiratione. Ossa verò sic satis induruisse sentiuntur, ità ut validiori compressioni difficulter cedere videantur. Venter

rer maternus interea dum attrectatur, nullo dolore angitur, ni id plus, quam par est, fiat diutius.

Valet sic satis ista mulier, omniaq; sua munia tam domi, quam in agris una cum marito suo optime peragit, hilaris est, prudens mater familiæ, & utcunq; faceta, annum nunc temporis ætatis sue agens quadragesimum quintum, corpore gracili, nec habitu illaudabili. Menses, cum annis quatuor essent detenti, potiunculis nonnullis illos promouentibus usa, rursum manare cœperunt in hunc usq; diem. At mensibus singulis, dum eorum terminus instat, venter inferior intumescit, illamq; dolores inuadunt vehementissimi, haud aliter, quam si nunc nunc esset enixura, nec antea cessant, ni menses omnino eruperint. Quod si mulierem aliquo morbo laborare contingat, iisdem planè doloribus ad integrum morbi terminum corripitur.

Aliud præterea notatu dignum refert, quintum nunc esse annum, ex quo natura quodam

Kk 2 modo

modo istius sceleti expulsionem tentarit. Uteri enim osculum hiasse, & inde aliquot ossicula fuisse egressa, qua de causa euestigio accersitur obstetrix: at cum satis imperita, vel potius rei novitate perculsa, nullum remedium ferre se posse indicaret, omni ope humana hanc multis modis longè infelicissimam destituens, recessit. Ipsa verò interim nihilominus intrepido, fortiq; animo, ossicula illa, ut in propriū locum retrò cederent, proprijs manibus allaboravit, sic ut in pristinum redierint. Ab isto verò tempore, uti nec antea, huiusmodi quid sinistri illi accidit.

Mirum deniq;, quantoperè rustica illa flagitet, summisq; precibus contendat, ut abdomen ei manu medica aperiatur, sceletumq; ab utero eximatur. Sic enim seipsam sanitati pristina restitui posse confidit optimè. At quominus id tentatum hætenus sit, adhuc subiudice lis est.

De rustico in venatione venabulo icto.

HISTO-

HISTORIA IX.

Nno Christi 1546. in Bohemia rusticus quidam in venatione ictus est venabulo lato in stomachum sub cap-
 dno, seu eius orificio. Vulnus hoc letale & am-
 plum, nulla arte, vel consilio consolidari potuit,
 paulatim verò labia vulneris tractu temporis
 occalluere, ita quòd vulneratus per annos plu-
 res supervixerit. Hic verò tandem secundum
 artem instrumentum quoddam vulneri appli-
 cavit, interdum drupis & panniculis lineis hia-
 tum vulneris infarsit, & ita affabrè obturavit,
 ut quum vellet, stomachum per supernas par-
 tes elueret, & cibos ac potus ingurgitados ex
 stomacho per vulnus emitteret, quando liberet.
 Huius rei testis abundantissimus esse potest vel
 sola Casarea Maestas, quæ, ut ex ore illius au-
 diuit MATTHIAS CORNAX, vulnus
 hoc inspexit.

Kk

3

Sequun-

Sequuntur historiæ 4. à CLAUDIO
 RICHARDO eleganter descriptæ,
 de lapidis bezoartici exhibi-
 tione.

De prima exhibitione lapidis be-
 zoartici cuidam longo tempore gra-
 uiter decumbenti.

HISTORIA X.

CANDER dictus quum longa ac
 S graui agitudine cum ingenti omni-
 um suorum membrorum ac pulsus quoq;
 imbecillitate Oeniponti decumberet, nauseabun-
 dus, ac in ventriculo & præcordijs vehementer
 dolens, annū 75. agens ex Cæs. Maiestatis iussu
 oblata sibi lapidis bezoartici gr. quinq; in coch-
 leari vini fuere. Nulla illo die subsequuta est
 alteratio, nullaq; immutatio, noctu tamen me-
 lius quieuit. Sequenti die brachia attollebat,
 cruraq; ad se contrahabat, quod antea haud-
 quaquam facere poterat. Tribus deinceps elapsis
 diebus vomitum quidem biliosum habuit, qui
 præcor-

præcordiorum & ventriculi dolores finiuit. Et quamuis longo adhuc tempore decubuerit, nihilominus tamen suæ salutis ac conualescentiæ fundamentum bezoar extitit.

De secunda exhibitione lapidis bezoartici cuidam ægroto letaliter decumbenti.

HISTORIA XI.

STAPHYLVS sedecim diebus con-

D. tinuis acuta febre, maligna & sopita à renum affectu suum sumentem initium laborabat, abhorrebatq; ab omni ciborum genere, nauseabundus erat, de capitis dolore sæpius conquerebatur, nihil nisi de morte loquebatur, delinquebatq; frequenter animo. Sedes habebat colliquatius cum ani exitu doloroso. Urina erat turbida, cruda, & ferè subingalis. Articuli, & præsertim genua dolebant, lassitudo ingens, facies Hippocratica, oculi in dormiendo aperti, & ob vehementem virium imbecillitatem corporis ad pedes delapsus.

His

His ita se habentibus, quum de vita illius ab omnibus hominibus minus speraretur, motu proprio ex Caesaris clementia huius preciosissimi medicamenti gr. vij. sibi in vini cochleari oblata fuerunt. Non tamen erat ventriculo tunc prorsus ieiuno, siquidem medium oui vitellum per semihoram antè sumpserat, biberatq; aliquid vini. Porro hora una à bezoartica assumptione elapsa mediocrem haustum seri lactis caprini calefacti, & cum Saccharo permixti ebibit, similiter etiam post semihoram, amplius eiusmodi haustum bibit. Subsecuta sunt sedes sex cholericæ & fœtidae, cum quadam faciliiori tolerantia solito. Atq; in rei veritate intra hosce quindecim aegritudinis dies in tantū, quantum medietas cruciati panis sit, minimè comedit.

Decima sexta autem die in cœna paropsidem hordei in iussulo carnis cocti plenam tanto appetitu comedit, ut intuentes hoc letale quandam aviditatem potius, quàm famem esse crederent. Et dum inter edendum ab intuentibus
cohor-

cohortaretur de strenua comestione, si servari
cuperet, respondit: se idè strenuè comedere,
quòd cibus sibi placeret, & acceptus esset, alio-
quin inaniter & frustra cohortaretur. Sequenti
die spes salutis melior de hoc egroto afferebatur,
atq; ita ex illa hora res in meliorem statum
continuata serie progressa sunt.

De tertia bezoartici lapidis exhi-
bitione post venenum oblatum.

HISTORIA XII.

Eo cuidam Praga, quum per aliquot
R dies in carcere detentus solo pane &
aqua fuisset usus, atq; precedenti no-
cte prorsus incœnatus, drachma una pulveris
napelli oblata fuit. Erat corpus ex precedente
dieta valdè preparatum, vena inanita, & mea-
tus omnes aperti, ex quo facillimè veneni vis ad
extrema quoq; membra distribui illis potuit. Su-
peruenerunt accidentia, nempe pectoris angus-
tia, ventriculi dolor, oculorum obtenebratio
vertiginosa, pulsus immutatus. Quum verò in-
Ll firmus

firmus assereret, nisi statim subueniretur, se penitus deficere, oblata sunt illi quinq; grana bezoartici lapidis in paucò vino, & continuò alleviatus fuit.

Paulò post non sine angustia evomebat, ac benè sperabat, nihilominus circa ventriculum materiam aggregari percipiebat. Capitis posterior pars, & collum dolebant, inde delirare incipiebat, nec non in folio quodam lacero altè canebat. Præterito delirio alia symptomata recurrebant, ventriculi nimirum, capitis, maxillarum, pectoris, modò unius, modò alterius iuncturæ dolores. Verum septem horarum spacio omnes dolière, venter intumescere quasi hydropicus esset, erant præcordia cum dolore & duricie tensa, sentiebat punctiones in renibus, urina erat suppressa, alterum brachium & crus resolutum, pulsus interceptus, & febriculofus, vomiebat illo die frequenter, habuit suæ alui beneficia sufficientia, sed perpetuò de duricie quadam frigida ac si lapis quidam in ventriculo esset fixus, conquerebatur.

Uti-

Ultimò verò, de quo astantes omnes mirabantur maximè, ophthalmia quadam lippitudine illi superueniebat, adeò dolorifica & horrida, ut patiens ipse mori potius, quàm paulò magis cum eiusmodi dolore perseverare cuperet. A veneni assumptione per horas quinq, ne guttam quidem sumpserat, ut eò certius experimentum hoc procederet. Conquiescebant spacio octo horarum hac omnia, noctu cum voluptate & appetitu cœnabat, quieteq, dormiuit. Manè erat optimè sanus, neq, membrorum ulla lesio subsequuta est, prout à CLAUDIO RICHARDO quinque, vel sex mensium spacio percunctatum est. Factus est liber, & à S. C. M. liberaliter munera accepit.

De quarta lapidis bezoartici exhibitione secura ac felici, pro quodam, cui venenum exhibitum fuerat.

HISTORIA XIII.

Ll 2

Anno

Nno Christi 1563. die nona Decembris Vienna cuidam ad mortem condemnato furi nouendecim sue ætatis annorum, ex Imperatoris mandato, præfente D. IOANNE AICHOLTZIO, me DIO MEDECORNARIO, & alijs multis Medicina studiosis, ac Senatoribus Viennensibus, per lictorem exhibebatur bolus ex arsenici puluerisati dr. s. cum conserua rosarum preparatus. Post cuius boli venenati deglutitionem elapsa ferme hora una, ebibit bezoartici lapidis gr. x. in aq. borraginis dissoluta. Interrogatus, qualis status ante remedij huius assumptionem in eo fuisset? respondebat, se prius magnum stomachi cum erosione percepisse incendium, fauces ardore quodam detentas, oculos cum vertigine fuisse obtenebratos, non intellexisse loquentes, neq; nouisse homines. Epoto verò medicamento, ventriculum fuisse illicò refrigeratum, oculos apertos, inquietudines & angustias multas, quas prius in vniuerso corpore senserat, sublatas. Percontatus, angenua dolerent? Id afferuit, & cum

cum punctione, quod venenorum ferè omnium proprium esse solet. Paulo post sequutus est dolor ventriculi, gutturis ardor, ac sputum salsum, cui vomitus phlegmatis veneno permixti successit, post quem vomitum parum melius habere cepit, deinde de ventris dolore conquestus est, ideo ferreis vinculis à pedibus remotis ferè naturale alui beneficium habuit, ex quo ventris dolor cessavit. Recurrebat verò intra semihoram ventriculi dolor nauseatius, expuebat amaram materiã, extremitates corporis erant refrigeratæ, dicebat se quasi conuolutum filum, aut linum in œsophago sentire, inde phlegmatis crassi ac vitrei per vomitum excretio subsequuta est, hinc à symptomatibus molestis alleviatus, iterum inquietior factus doluit venter, caput, & genua, hypochondria tensa erant, unaq; cum ventriculo intumuerunt, unde alia ventris excretio sequebatur. Paulo post rursus ventris dolorem cum totius corporis inquietudine percepit, subinde alius tertia vice materiam nigrã, liquidam, ac intransendo comburentem ex-

Ll 3 crevit,

creuit, vomitusq; facilis, sed exiguus, superuenit. Duodecima hora audita, quum circa septimam venenum accepisset, iusculi carnis tria cochlearia bibit, agerrimeq; tunc temporis carnis decocta odorem ferebat. Elapsa una hora dum sitiret, offerebatur ei panis bolus in vino lymphato imbutus, quem comedere haud poterat, parum tamen de hoc vino bibit. Atq; ita spem meliorem de salute sua concipiebat, de qua prorsus antea desperauerat, inde omnia pedetentim in statum tranquilliorē redacta sunt. Cœnauit enim vesperi commodè, & benè dormiuit. Manè sequenti quum, quo pacto se haberet, interrogaretur? Respondit: Sante wol/ quasi diceret: omninò benè in suo corpore esse disposita omnia, licet hypochondria tensa adhuc, tactuiq; renitentia apparerent, quod symptoma absque ulla medicamentorum ope postea quieuit. Atq; hinc apparet, Bezoar medicamentum esse regium, facile, placidum, omni periculo carens, utq; A E T I I verbis utar: pueris, mulieribus, & senibus hac medicina

dicina vel sub ipso canis feruore, quo præcipue tempore reliqua medicamenta omnia ferè suspecta sunt, tutissimè datur, quandoquidem corpus nullo alio pacto alterat, aut debilitat, sed maximè roborat.

De muliere suspensa, quæ gemellos peperit.

HISTORIA XIII.

Nno 1567. die 14. Junij inter Dauentriam & Sutphaniam ab Hispanis maritus cum uxore grauida suspenduntur. Uxor quum pependisset per horas quatuor, gemellos viuos mortua peperit. Vide Calendarium PAVLI EBERI in quarto impressum anno 1579.

De matrona, quæ mortua peperit infantem.

HISTORIA XV.

Jn

*N Hispania Madricij, quædam ma-
trona ex familia Don Francisci Lás-
so oriunda, postquam per triduum in
mortis agone decubisset, existimantib. cognatis
eam mortuam esse, deportata est in locum ad se-
pulturam destinatum, quem Græci νεῖπτελιν ap-
pellant, ubi more solito sola relictæ fuit occlusa.
Post aliquot menses aperto loco, repertum est
hoc cadaver in eodem loco, in quem repositum
fuerat, habens in dextro brachio infantem mor-
tuum. Hinc apparet ipsam tum temporis, quan-
do sepulta fuit, nondum obijisse, sed postmodum
peperisse infantem, qui unâ cum matre miserrimè
clam infra terram obiit. Hanc historiam ex
fide dignorum Autenticorum virorum relatio-
nibus certissimis percepi, quorū nomina, postu-
lante necessitate, subiungere facillè possem.*

De amore filix erga matrem.

HISTORIA XVI.

Val. Max.
lib. 5. c. 4.

*S Anguinis ingenui mulierem Prator
apud tribunal suum capitali crimine
damna-*

damnatam, Triumuiro in carcere necandam tradidit, quam receptam is, qui custodia praeerat, misericordia motus, non protinus strangulauit, aditum quoque ad eam filia, sed diligenter excussit, ne quid cibi inferret, dedit, existimans futurum, ut inedia consumeretur. Quum autem iam dies plures intercederent, secum ipse quaerens quidnam esset, quo tam diu sustentaretur, curiosius obseruata filia animaduertit illam exerto ubere famem matris, lactis sui subsidio lenientem, quae tam admirabilis spectaculi nouitas ab ipso ad Triumuirum, à Triumuiro ad Praetorem, à Praetore ad Consulium iudicium perlata, remissionem poenae mulieri impetrauit. Quò non penetrat? aut quid non excogitat pietas? quae in carcere seruanda genitricis nouam rationem inuenit. Quid enim tam inusitatum? quid tam inauditum, quam matrem uberibus nata alitam esse? putauerit aliquis hoc contra rerum naturam factum, nisi diligere parentes prima naturae lex esset.

Mm

De

De filiæ pietate in patrem.

HISTORIA XVII.

Val. Max.
ibidem.

¶ Dem prædicatum de pietate eius existimetur, quæ patrem suum Cimona consimili fortuna affectum, pariq; custodia traditum iam ultima senectutis velut infantem pectori suo admotum aluit. Hærent ac stupent hominum oculi, quum huius facti pictam imaginem vident, casusq; antiqui conditionem præsentis spectaculi admiratione renouant, in illis mutis membrorum lineamentis viuæ, ac spirantia corpora intueri credentes, quod necesse est, animo quoq; euenire aliquantò efficaciore pictura literarum vetera prodentibus admonitos recordari.

De gemellorum partu infelici.

HISTORIA XVIII.

*N*obilis quadam matrona gemellos gestans in utero materno, peperit quidem feliciter puerum unum hora prima noctu,

noctu, sed alter infans, postquam ex partu prior-
 ri viribus amissis defatigata puerpera vitam,
 cum morte commutasset, lucem videre haud
 potuit. Cernebamus enim ego DIOMEDES
 CORNARIUS, & THOMAS VVITKE
 barbitonsor Viennensis ordinarius, secta ma-
 trice per instrumenta chirurgica, embryonem,
 alterum defunctum, manibus ac pedibus suis
 inuicem perplexis ac conuolutis ad vuluae orifi-
 cium matris suae procumbere. His ita se haben-
 tib. nec obstetricis industria ex materno utero,
 ea adhuc viua existente, extrahi embryo potuit.

De partu difficili facilitando.

HISTORIA XIX.

I pariendi conatus, ex longa mora in-
 fantis, & oris uteri angustia, desi-
 cere vellent, quod in obasis, ijsq; quae
 primò matura iam etate mulieribus partu-
 riunt, plerunque contingit, exhibito prius se-
 creto puluere ex boracis scrup. iij. croci, ci-
 namomi an. scrup. j. preparato, ac in aqu. ar-

Mm 2 the.

themisia, aut vino dulci dissoluto, obstetrix parturientis locos adipe coturnicum liquefacto calidè inungat, quo factò, tormina noua continuò excitantur, uterusq; beneficio unctionis huius pinguedinis lubricus redditur, quod in fœmina honesta, quæ quum quatuordecim integris horis continuis in sedili grauitèr admodum, ac summo cum vitæ periculo eniteretur, nec quicquam tamen ob uteri oris angustiam proficeret, desperatis rebus omnibus, feliciter expertū est.

De aureo dente enato in puero
septennali.

HISTORIA XX.

Nno 1593. puero Silesitico septimo
A etatis anno dens aureus in maxilla inferiori, versus sinistram partem eadē conformatione, magnitudine, numero & positu, quo alij dentes, enatus est, quemadmodum hæc historia à IACOBO HORSTHIO Academiæ Helmstad. professore publico, & MARTINO RVLANDO Medico Ratisponensi descripta extat.

De

De pecudum morbo epidemico.

HISTORIA XXI.

Nno rñs Georgiæ 1598. & 1599.

A inuasit vaccas, & tauros præsertim,
 morbus per uniuersam ferè Germania
 grassando, & alias finitimas regiones, qui
 interfecit suo contagio infinitum pecudū nume-
 rum, adeo ut in villis quibusdam vix ullus am-
 plius bos, aut vlla vacca reperiatur. De hoc
 contagio ex serenissimi Archiducis Austria
 MATTHIÆ & c. decreto excelsum Regimen
 Casareum à Collegio Medico Viennensis Ar-
 chigymnasij, communicatis inuicem consilijs
 informatum est Germanicis verbis, quæ ego
 DIOMEDES CORNARIUS in Latinum
 textum hoc modo transtuli:

Symptomata superueniunt bruta animan-
 tia hæc: caput planè deorsum inclinant, calor
 adest præternaturalis, sitis inexhausta, & ap-
 petitus ad bibendū tam auidus, ut obuiam ve-
 nientes & aquam portantes homines cornibus

Mm 3

feri-

feriant, atq; ad terram prosternant, ut hoc pacto aqua potiantur, præterea adest pabuli nausea, anhelitus foetidus, inde ad terram cadentes, quædam citius, quædam tardius intereunt: In nonnullis alui profluvium phlegmatica materiei superuenit. In quibusdam vaccis vesica fellis præternaturaliter ex affluxu biliosi humoris adeò tumet, ut libras octo, aut nouem etiam capere videatur. Ventriculus phlegmate crasso, viscido, lento, tenaci, aperto cadauere refertus inuenitur. Tota carnis substantia bilioso icterico liquore tincta conspicitur. Ex his symptomatibus colligi potest, hunc armentorum morbum esse febrem continuam, malignam, ac pestilentem, quæ ab uno bruto animali ad aliud serpendo contagium ipsis infert.

Causæ duplices esse videntur: Astrologica videlicet, & Physica.

Astrologica, ut est: Cometa apparitio anno 1597. in Tauro, quod est signum ruminans, & eiusdem naturæ: item coniunctio-
nes

nes multa in signis ruminantibus.

Physica, diuturna nebulosa cæli constitutio, humiditates terræ ob inundationes inductæ, pascua infecta ex eiusmodi humiditatibus, ær contagiosus ex demortuorum pecorum decubitu, imò ipse morbus habens contagij vim & potentiam.

Confirmat hanc sententiam, quòd magis hæc lues in locis plerumq. humidioribus, ubi crassum & humidum est pabulum, quàm in locis altioribus & siccis grassetur.

Quæ causæ quum sint magni momenti, & morbus per se contagiosus, non brutis animantibus duntaxat, verum etiam hominibus periculum indè imminet.

In animantibus est clarum:

Hominibus autem primò propter morbi naturam, qui contagiosus est ratione analogiæ ad humanam naturam, quemadmodum ex superius relatis signis manifestum est. Proindè consideratis istis signis, habita collatione corporum pecorū & hominum per analogiā proportion-

tionaliter, nullum alium esse affectum, quàm febrem ardentem, continuam, putridam, malignam, pestilentem, quæ populariter undiq, grassatur, atq, per contagium quamplurima bruta inuadit ac occidit, deprehendimus.

Rationes seu causæ huius brutorum interitus, facile excogitari possunt.

Esse autem singularem pœnam diuinam, Theologis deliberandum relinquimus. Nihilominus duas principales causas animaduertimus, quarum unam ex siderum cœlesti influentia: alteram ex natura desumimus. Nam præterito anno 1598. multi aspectus & coniunctiones aduersæ & Solis, & Luna, & Planetarum Saturni ac Martis apparuerunt, quæ coniunctiones præcipuè in Tauro tanquam signo ruminante contigerunt, undè pecorum interitus causatus est. Præterea eodem anno in relato signo Tauri, non remotè ab Oculo, qui lucidissima huius signi stella existit, nec longè etiam à Sole sito, una cum aliquoties antea dicto sidere, prius allegati mali aspectus superuenerunt, simul etiã præ-

præteritæ duæ Eclipses suos effectus ac operationes habuerunt adeò validas, ut non mirum sit, quin in bruta huiusmodi animantia vires suas fortissimè exeruerint. Amplius etiam Cometa apparuit, quem Luna aliquoties obscuravit.

Naturales autem causæ Astrologicis meritò præferendæ sunt, quum præsertim illarum effectus ac operatio in hominibus manifestius, quàm in brutis animaduertatur.

Præterea anno 1598. nebula quotidiana ferè densissima, aëris constitutio humidissima, tempestasq; turbida ac tenebrosa apparuit, quæ omnia non hominibus duntaxat, sed etiam brutis animantibus occasionem præbuerunt, ut huiusmodi pestilentialibus ac contagiosis morbis corripenterentur. Et quidem quòd pecora magis, quàm homines correpti fuerunt, atq; adhuc quotidie corripuntur his affectibus contagiosis, ratio in promptu est, quia descripta humida tempestas iumentorum pabulum corrumpit ac deprauavit, dum per inundationes arenosa ac lutosa immundicie impuritatem acquisiuit, ita

Nn

ut

ut ex corrupti ac coinquinati pabuli comestione meritò in huiusmodi morbos incidentes perirent miserrimè.

Nec verò immundus pro tempore per se aër huic malo ansam minimam præbuit, præsertim fœtore grandi ex iumentorum cadaueribus innumeris excitato, qui aërem adhuc magis corrumpendo impurum, nec non venenatum reddidit, unde contagium augmentum accepit, quum in magna copia armenta congregata in pratis, aut locis similibus, pabulo communi uti constet. Et sanè periculum indè etiam hominibus imminere temporis progressu verendum est. Nam primò proportio analogica est inter nos, & inter pecudes, quæ aëre, cibo, potu, somno, vigilijs, & alijs rebus non naturalibus aequè nobiscum utuntur. Secundò hic morbus natura contagiosus ac noxius est.

Tertiò quia aër humidus nimium insalubris existit, obortus nimirum ex furia correptis defunctis pecudum cadaueribus, metuentum est, ne homines quoque inficiat. Sed cer-

tum

tum est, ex vaccarum, aut boum hoc morbo correptorum comestione etiam homines, morbos inde contracturos, quemadmodum canes, & cœli volucres, postquam huiusmodi cadauera contagiosa gustassent, perijisse constat.

Ad contagij huius inhibitionem, ne pestis inde oboriatur hominibus, aut contagium ad pecora ulterius serpat, cadauera pecorum collecta ad certum locum, à ciuitate, aut villa longè remotum, concremari, ac igne consumi consultum erit, siquidem ignis aërem puriorem ac salubriorem reddit: vel subtus terram sepeliri, non extra propositum est.

In Danubium verò, aut aliquem alium fluiuium cadauera brutorum proijcere, absq; periculo vix fieri poterit, quum præsertim veneno infecta sint pecora.

Ex harum bestiarum seuo candelas præparare, easq; accendere, similiter ob fœtidas exhalationes ac fumos inde contingentes, periculosum est.

Nn 2

Ut

Ut autem præservedentur ab hoc contagio in posterum bruta, imprimis sanorum ab agrotis separationem fieri debere necesse erit, secundo theriaca exhibitio, in Officinis diateffaron dicta, exq; gentiana ac aristolochia rotunda radicibus, lauri baccis, & myrrha preparata proderit, pabulum quoq; à pulueribus, & alijs quilibet emundandum.

Proderit præterea pecudibus etiam scordij, pulmonaria, agrimonia, cichorij, baccarum lauri, et simplicium similium comestio frequens.

In stabulis, ex ligno iuniperino, pice prius inuncto, salutaria suffimigia fiant.

Curatio pastoribus, & alijs scæminini sexus plerunq; hominibus, pecorum curam aliàs habentibus, incumbet. Atq; hoc pacto & præservatio, & curatio feliciter institui poterit.

F I N I S.

C A-

CATALOGVS

Præstantissimorum virorum, quorum
in historijs admirandis raris mentio fit:

ANDREAS PERLACHIVS.

AETIVS Medicus Græcus.

ÆGIDIUS HERTOGIVS.

CLAVDIVS RICHARDVS.

FRANCISCVS EMERICVS.

GEORGIUS RITHAMER.

HENRICVS CORNELIVS MATHISIUS.

IOANNES DE PAYMGARTEN.

IACOBVS VVALCH.

IOANNES ENZIANER.

IOANNES AICHOLTZ.

IACOBVS HORSTHIVS.

MATTHIAS CORNAX.

MARTINVS RYLANDVS.

PAVLVS DIRLEYVANG.

PAVLVS EBERVS.

PETRVS VVINCKLER.

SIXTVS WVIRT.

THOMAS VVITKE.

VALERIVS MAXIMVS.

Nn 3 ELEN-



ELENCHVS
HISTORIARVM ADMI-
RANDARVM RARARVM.

Prior numerus historiam:

Posterior folium indicat.

- De strangulato, qui iterum reuixit. hist. 1. fol. 3.
De fure suspenso, qui denuò reuixit. h. 2. f. 4.
De peruerso vrinarum iudicio historiae tres. h. 3. f. 5.
De peruerso ex vrinis iudicio. h. 4. f. 8.
De falso vrinarum iudicio. h. 5. f. 11.
De gestatione in vtero foetus mortui, vltra annos qua-
tuor. h. 6. f. 13.
Quòd eadem foemina denuò conceperit, & gestauerit
foetum viuum, perfectum, masculum, ad legitimum
pariendi tempus: quòdq; ex posthabita sectione
mater vnâ cum puello interierit. h. 7. f. 23.
De muliere, quæ annis tredecim in vtero gestauit scele-
tum foetus mortui, quod tactu cum ab ipsa matre,
tùm ab omnib. illi præsentibus percipitur. h. 8. f. 29.
De rustico in venatione venabulo isto, h. 9. f. 36.
De prima exhibitione lapidis bezoartici cuidam longo
tempore grauiter decumbenti. h. 10. f. 38.
De secunda exhibitione lapidis bezoartici cuidam ægro-
to leualiter decumbenti. h. 11. f. 39.

Deter-

De tertia bezoartici lapidis exhibitione post venenum
oblatum. h. 12. f. 41.

De quarta bezoartici lapidis exhibitione secunda ac felici,
pro quodam, cui venenum exhibitum fuerat.
h. 13. f. 43.

De muliere suspensa, quæ gemellos peperit. h. 14. f. 47.

De matrona, quæ mortua infantem peperit. h. 15. f. 47.

De amore filiae erga matrem. h. 16. f. 48.

De filiae pietate in patrem. h. 17. f. 50.

De gemellorum partu infelici. h. 18. f. 50.

De partu difficili facilitando. h. 19. f. 51.

De aureo dente enato in puero septennali. h. 20. f. 52.

De pecudum morbo epidemico. h. 21. f. 53.

Finis elenchi historiarum.



I N-



INDEX

in admirandas historias raras
conscriptus.

A.

A Vrens dens pueri septennali nascitur 52

B.

Bezoartici lapidis in chronico morbo exhibitio 38

Bezoartici lapidis exhibitio cuidam letaliter decumbenti 40

Bezoartici lap. exh. post venenum oblatum 41

Bezoartici lap. exh. pro quodam, cui venenum datum fuerat 44

C.

Coturnicis adipis usus 52

E.

Ex urina inspectione Medicus gravidam mulierem indicat 5

F.

Filia matrem captivam lacte mamillarum nutrit 48

Filia patrem incarceratum similiter lacte mamillarum alit 50

G.

Gestatio fetus mortui in utero ultra quatuor annos 13

H.

Hebraus impostor Vienna

Austria praxim Medicam exercet 10

M.

Matrona defuncta infantem parit 48

Meretricularum impostura in indicandis urinis 11

Mulieris sectio, qua gravis esse putabatur 7

Mulier strangulata viuos gemellos parit 47

Pecu-

INDEX.

P.		<i>Strangulatus iterum indu-</i>	
<i>Pecudum morbus epidemicus</i>		<i>stria Medicorum Vien-</i>	
53		<i>nensium reuixit</i>	3
<i>Partum facilitans puluis</i>	52	<i>Strangulatus denuò suspen-</i>	
S.		<i>sus, postquàm reuixerat</i>	
<i>Sectio mulieris grauida</i>	21.	4	
& 51		V.	
<i>Sceleti gestatio in utero per</i>		<i>Vrina falsum iudicium</i>	11
<i>annos tredecim</i>	29	<i>Vulneris stomachi curatio</i>	
		<i>artificialis</i>	37

FINIS INDICIS
historiarum admirandarum rararum.

μόνω τῷ Θεῷ δόξα.



Oo

Typo-

ERRATA

Typographica in consilijs medicinalibus com-
missa, sic corrigenda sunt:

pag. 4. lin. 11. lege PRÄTER-
SCHNEGGER.

5. 14. imprimeretur,

14. 8. mihi

29. 14. accersere

37. 9. taraba.

40. 16. perfectissimum.

42. 19. (dele) & obstructions
aperiunt.

56. 1. deferretur.

60. 3. oxymel. dele punctum.

81. 5. herb.

85. 21. obturando

89. in marg. s. litera est omissa in
dictione Frictiones.

91. 18. adeoq;

95. 17. harum

107. 21. utq;

108. 21. Matthiæ. &c.

131. 4. cum

137. 6. acerbum

143. 14. reijci ab hepate

144. 12. obsecro

148. 18. Monarde.

154. 8. æstatis.

In med. observat. prameditat:

10. 5. curationis,

ibid. 20. quodam

12. 12. sanitati

41. 16. ligni guaiaci.

47. 6. in marg. lege Dysenteria.

In historijs admirandis:

11. 8. delapsam

22. 3. futura.

52. 19. Academix

*In Epitaphijs, &c. Doctori
Lazio scriptis:*

19. 14. summa,

25. in fine ἀλλ' &

26. 1. πῶς

ibid. 7. ὅς

ibid. 14. πῶς

31. in fine Secundò

44. 26. facientes,









EPIGRAMMA
I N
DIOMEDIS CORNARII
MEDICINÆ DOCTORIS
INSIGNIA.

Hæc habet illustris Medicus CORNARIVS arma,
Se quibus illustrat progeniemq; suam.
Hoc illi magnus cumulavit munere CÆSAR,
Effecitq; virum nobilitate grauem.
Dum vir facundus, Medicus clarissimus, atq;
Hinc gratus Ducibus, magnanimisq; viris.

M. P. H.

ALIUD EIVSDEM.

INter quod geminas sedeat CRYLLENIVS
Inq; ferat manib. mystica signa suis: (alas,
Vis est ingenij, Doctor prænobilis, ipsas
Qua penetrans auras sidera celsa petis.
Ac vel iussa Iouis, vires vel percipis omnes,
Quæ sunt in violis, purpureisq; rosis.

Oo 3

Hinc

*Hinc foricata tibi galea est, Regisq; corona,
Tu quibus illustrem reddis honore domū.
Inter ut illustres ea iam sit clara Dynastas,
Ac sibi concessum seruet, ametq; locum.*

ALIVD EIVSDEM.

*Q*Uod galea sedeat proles Cyllenia aperta.
Junctaq; sit galea pulchra corona caua:
Hoc meruit virtus, ars, ac facundia linguae,
Quaeis rudis à docto vincitur usq; viro.
Sic quondam Aiacem sapiens superavit Ulysses
Victor, & Aemonij sustulit arma ducis.





